

3
Q. D. B. V.

DE
TESTIMONIO
SENSUUM
IN REBUS FIDEI

P R Æ S I D E
CHRISTOPHORO MATTHÆO
PFAFFIO,

S. THEOL. DOCT. ET PROF. PRIMARIO,
PRÆPOSITO ET CANCELLARIO TUBINGENSI,
ABBATE LAUREACENSI

AD D. XI. JAN. M DCC XLIII.

DISPUTABIT
M. JOHANNES HENRICUS ENLIN,
S. THEOL. STUDIOSUS IN ILL. STIP.

TUBINGÆ
TYPIS DABAT ROEBELIUS.

Philos.

C.

219,32



Jam olim cecinit Petronius Arbiter in uno ex fragmentis,
quæ supersunt a):

*Fallunt nos oculi, vagique sensus
Oppressâ ratione mentiuntur.
Nam turvis, prope quæ quadrata surgit,
Attritis procul angulis rotatur.
Hyblæum refugit satur liquorem,
Et navis casiam frequenter odit.
Hoc illo magis aut minus placere
Non posset, nisi lite destinata
Pugnarent dubio tenore sensus.*

Transeat lusus, qui poëticus saltem est, & cui antidotum id-
que luculentum dederis ex Lucretii L. IV. de naturâ rerum,
quo Academicos Scepticosque veteres refellit b). Constat,
sensuum testimonium vel in totum vel in tantum fallax du-
biumve saltem censuisse illos, Empedoclem, Xenophanem,
Zenonem, qui extensionem & motum negavit, Heraclitum,
Aristippum, Anaxagoram, qui nigram nivem dixit, Socra-
tem, Platonem, Arcesilam, Dioclem, alios, reclamantibus
Epicuro, Aristotele, Cicerone, aliis. Ille sanè, memorante

A

hoc

a) p. 80. edit. Wower.

b) p. 115. sqq. edit. Giffa.

hoc in Lucullo C. 5. & L. 1. de naturâ Deorum omnes sensus verinuntios dixit. Iste L. III. de generat. animal. C. 10. sensui magis credendum, quàm rationi, & huic tantum, si, quæ demonstrantur, cum sensu conveniunt, itemque L. 1. Phys. C. 3. rationem quærerere, omisso sensu, est infirmitas quædam cogitationis ἀπιστίας ἐστὶ δεισιδαιμονίας. Hic Acad. quæst. L. 2. quem jam laudavimus: Meo iudicio est maxima in sensibus veritas, si & sani sunt & valentes & omnia removentur, quæ obstant & impediunt &c. Abeat itaque jam Sextus Empiricus, qui veterum Scepticorum errorem recoxit Pyrrhon. hypotyp. L. II. C. 6. & adv. Logicos L. VII. n. 343. Egregiè Tertullianus C. 17. de animâ contra Academicos & Docetas: *Quid agis, Academice procacissime? Totum vitæ statum evertis, omnem naturæ ordinem turbas, ipsius Dei providentiam excæcas, quâ cunctis operibus suis intelligendis, incolendis, dispensandis fruendisque fallaces & mendaces dominos præfecerit sensus. Et paulò post: In Christo de fide sensuum deliberetur, ne forte dicatur, quod falsò Satanam prospectâvit de cælo præcipitatum, aut falso vocem Patris audierit de ipso testificatam, aut deceptus sit, cum Petri socrum tetigit, aut alium postea inviguenti senserit spiritum, quod in sepulturam suam acceptavit, alium postea vini saporem, quod in sanguinis sui memoriam consecravit. Sic enim & Marcion phantasma illum maluit credere, totius corporis in illo dedignatus veritatem. Atqui ne in Apostolis quidem ejus ludificata natura est. Fidelis fuit & visus & auditus in monte, fidelis & gustus vini illius, licet aquæ ante, in nuptiis Galilææ, fidelis & tactus exinde creduli Thomæ. Recita Johannis testationem: Quod vidimus, inquit, quod audivimus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ. Falsa utique testatio, si oculorum & aurium & manuum sensus natura mentitur. Priora verba Academicis, posteriora Docetis opposita vides, qui veritatem humanæ Christi naturæ negavere, uti Saturninus, Valentiniani, Cerdon, Marcion, Apelles, & deinceps quoque Manichæi, queis & adjunxerim ex Eutychnianis Phantasiastas, Aphthartodocetas & Incorrupticolas, qui dixere, Christum apparenter saltem esuriisse, sitiisse, crucifixum fuisse & mortuum.*

tuum.

tuum. Ast & ex recentioribus Philosophis sunt, sed & ex Theologis, qui testimonium sensuum & in naturalibus & in rebus fidei sollicitârunt. Ex Philosophis agmen ducat Cartesius. Hic enim in principiis Philos. P. 1. §. 2. & in medit. philos. 1. cùm observâset, *sensus interdum fallere*, addit, *prudentiæ esse, illis nunquàm planè considerare, qui nos vel semel deceperint*. Ita & in somnis innumera *videri nos sentire aut imaginari, quæ nusquàm sint, nullaque dubitandi signa apparere, quibus somnum à vigiliâ certò dignoscat quis*. Aliter paulo Malebranchius *de la recherche de la verité* L. I. C. 5. sqq. Etsi enim errores sensuum, maximè visus, latius exponat, atque, sensus nobis datos esse saltem in usum corporis nostri, ipsorumque testimonio in rebus ipsis dijudicandis diffidendum esse, nec sensationes esse in objectis, sed saltem habitudines illas, quæ inter objecta & nos versentur, arguere, ipsos tamen sensus non esse corruptos asserit, sed judicia saltem nostra, quæ ad istas sensationes nant. Idem in illustrationibus ad calcem adjectis ait, existentiam corporum probatu admodum difficilem esse & non nisi ex revelatione certò constare. Refutavit, quod heic somniorum est, in libro *de veris & falsis ideis* Arnaldus cum aliis Cartesii adversariis, sed suffudit hic & illic frigidam Scepticorum hujus seculi antesignanus Bælius, ut Cartesii sequaces jam taceamus, pedibus in sententiam Magistri euntes. Mirum, Huetium, qui Scepticismo Cartesii aliàs dicam scripsit, tanto cum conatu defensum eundem ivisse in libello *de la foiblesse de l'esprit humain*, & sensuum quoque testimonium in dubium vocasse L. I. C. 3. si quidem sit ille autor, qui est, id quod negare videntur Jesuitæ Parisienses dans les memoires de Trevoux 1725. p. 989. sqq. Sed lusus hic est ingenii Huetiani, non seria viri mens, quæ nec Idealistarum est, quorum scripta exstant. Vide Orationem nostram de Egoismo p. 17. 18. Civilius hoc fuerit dicere, quàm dari Philosophos fanaticos, quos corrupta imaginatio, quos morbus phantasiæ in transversum agat, & qui Faunorum & Satyrorum ad instar in campo oberrent philosophico vel Scepticorum larvâ induti ridi-

A 2

culam

culam reddant scenam philosophicam, tanquam, ita Buchananus,

Gens ratione furens & mentem pasta chimæris.

Ast, quid Philosophos carpimus, quos tangere, quos affligere nefas esto, cum sint Theologi, qui testimonium sensuum sollicitant. Constat, Reformatos, Remonstrantes, Socinianos transsubstantiationi Romanensium & præsentia reali Eucharistica nostratum testimonium sensuum opponere. Quod videmus, quod gustamus, quod tangimus, panis est, & non nisi panis. Cur itaque dicitis, vos Romanenses, non amplius adesse panem, cur vos, o affectæ Lutheri, adesse simul corpus Christi, quod nec videtur, nec gustatur, nec tangitur? Jam & omnipræsentiam humanæ Christi naturæ, quam statuimus, videntur refellere sensus. Objectionem utrisque oppositam post Wiclefum urfere Petrus Martyr *c)*, Vedelius *d)*, Masfonius *e)*, Albertinus *f)*, Claudius *g)*, Turretinus Pater *h)* & Filius *i)*, Juræus *k)*, Abbadius *l)*, Basnagius *m)*, Placetta *n)*, Tillotsonius *o)*, alii, quos cumulare non est opus. Quid,

c) in libro contra Steph. Gardinerum. Citat verba Bellarminus L. 3. de Sacramento Eucharistiæ C. 24. *d)* in rationali theologico p. 52.

e) in anatomia universali triumphata P. 2. C. 30. puncto 6. sub finem f. 513. a.

f) L. I. de Eucharistiæ sacramento C. 18. f. 116. sqq.

g) contra Nouetum p. 20. 22. sqq. 38. 46. 66. 2. reponse à la perpetuité de la foy p. 139.

h) in instit. Theol. elenct. P. 3. L. 19. qu. 27. §. 4. sqq. p. 548. sqq.

i) in cogit. de variis Theol. capitibus n. 111. sqq.

k) Vide examen de l'Eucharistie p. 258. sqq. 357. sqq. Libellus hic facit tomum secundum du Recueil de divers traités touchant l'Eucharistie, Roterd. 1713. 8.

l) Vide ejusdem reflexions sur l'Eucharistie, lettre 4. p. 272. sqq. laudatæ collectionis. Digna sunt hæc Abbadiana, quæ legantur. Hic certe Vir nil scripsit præstantius unquam.

m) dans l'histoire de l'Eglise T. 2. f. 791. 841. sqq.

n) Exstat hujus traité de l'autorité des sens contre la transsubstantiation; Amsterdam 1700. 12. Quem cum aggressus esset Romanensis, respondit idem. Vide nostram Introd. in hist. Theol. lit. P. I. p. 369.

o) Hujus habetur sermo sacer contra transsubstantiationem Gallicè versus à Barbeyracio T. 3. des sermons n. 26. ubi vide p. 337. sqq.

Quid, quæso, respondent hîc Romanenses, quid nostri? Vel, quid est, quod his respondere datur? Utrique quippe in eodem decumbunt valetudinario, vel videntur saltem. Nequit, ita videri possit, solvi argumentum, nisi sufflaminetur sensuum testimonium. Respondent itaque, mox, testimonium sensuum ne quidem in naturalibus certum esse, mox, non valere illud in rebus fidei, mox, non valere idem contra revelationem, vel, ubi sive in ipsis sensuum organis sive in objecto intercedat supernaturalis operatio vel miraculum, vel testimonium sensuum ultra accidentia, ultra modos, ultra species & apparentias non vadere, nec spectare vel arguere substantias, nisi indirectè & dubiè. Ita sanè Romanenses, ita & nostri, quod secundam & tertiam responsionem ætinet. Itane ergo, quod in Philosophis damnavimus tanquàm fanaticum, in Theologis venerabimur tanquàm orthodoxum? Absit, ita præcipimus, *προσωποληψία* omnis. Nihil firmitus est thesi, quæ testimonium sensuum, uti in naturalibus, ita & in rebus fidei stabilit. Argumenta nostra hæc sunt. I. Si sensuum testimonium vacillat, vacillat ferè omnis cognitio nostra, & in Scepticorum vel Idealistarum castra transeundum dubitandumque est, num gaudeamus corpore vel sensibus, num detur terra, cælum, elementa, num, quicquid sensibus nostris obversatur, existat, num & charta hæc existat, cui has jamjam appiungo literas. II. Si sensuum testimonium vacillat, vacillat Philosophia ferè *omnis*, naturalis, quæ ex conspectu creaturarum Deum arguit, moralis, quæ officia præscribit, iis debita, quos nonnisi per sensus cognoscimus, Physica, Astronomia, Mathesis, Medicina, Jurisprudentia cum omnibus probationibus à testimonio sensuum petitis, de quorum jure Stryckius & Zentgravius scripsere, vacillant artes quævis mechanicæ, cadit vita civilis & religiosa omnis. III. Si sensus vacillant, si diffidendum illis est, maximè in rebus fidei, nec tutò creduntur miracula, quæ nonnisi per sensus innotescunt & quibus veritas Christianismi innititur. IV. Si sensus fallunt, cadit fides ipsa, quæ *ex auditu* proficiscitur Rom. X. 14. 17.

A 3

adeo

adeòque, cùm sensibus sit superstructa, poscere nequit, ut diffidamus illis, nedum in rebus fidei. V. Si sensus fallunt, cadunt & sacramenta, quæ sunt signa visibilia invisibilis gratiæ. VI. Si sensuum testimonium est dubium, dubia erit Christi humanitas, dubia ejusdem & passio, & mors, & resurrectio contra 1. Cor. XV. 5. sqq. & ascensio in cœlos, & ad iudicium reditus. Matth. XXIV. 30. 33. Act. I. 11. VII. Si sensus fallunt, cur ad eorum testimonium nos ablegat Christus Matth. XI. 4. 15. XIII. 16. XXIV. 15. 30. 33. Luc. XXIV. 39. 40. Joh. XX. 27. & Apostoli Joh. I. 14. 46. sqq. 2. Pet. I. 16 sqq. 1. Joh. I. 1. 2. 3. VIII. Si sensus fallunt, malè ad illos Josephus provocavit, cùm fratribus se beneficio illorum dedit agnoscendum Gen. XLV. 12. IX. Si sensus fallunt, nec Johannes certus esse potuit de descensu Spiritûs S. super Christum, cùm baptizaretur, nec de præsentia ipsius Christi, quem baptizabat, nec de voce Patris de cœlo loquentis Matth. III. 16. sqq. X. Si sensus fallunt, architriclinus non potuit esse certus, mediante gustu, de aquâ in vinum mutatâ. Joh. II. 9. Ast jam tetigimus miracula, nec cumulamur argumenta specialiora, quæ in immensum extendi possent. Itane ergo oculi Theologorum hujus vel illius Ecclesiæ caligant ad tantum demonstrationum, quæ intellectum obraunt, ad tantum veritatis jubar? Vix fortean credideris, vera esse, quæ ex Theologorum ore & calamis diximus, & esse, qui testimonio sensuum in dubium vocato cuniculis ne religionis Christianæ sollicitent fundamentum, Deismo frigidam suffusuri. Liberanda itaque fides est, ita tamen, ne nimis allegationibus tuam fatigemus, lector, patientiam, vel sinistra te imbuamus opinione, prodigos nos esse velle in pruritu ampliæ lectionis ostendendo. Transeat hæc vanitas, sed dandum tamen est, quod sufficit. Sensuum fallaciam in genere ex Theologis antiquioribus maximè accusavit Wilhelmus Wodfordus in articulis Wiclefi impugnatis art. 1. resp. ad 3. p) verbis: *Non sequi-*

p) Vide Orthuini Gratiæ fasciculum rerum expetendarum & fugiendarum
T. 1.

sequitur: sensus hominum dictant, ibi esse panem materiale, ergo est ibi, quia multoties contingit, sensus decipi, ut in Philosophiâ patet & in Theologiâ. Unde de baculo recto in aquâ stante sensus dictant, esse fractum, ergo baculus est fractus, patet, quod non sequitur, eò, quod antecedens est verum & consequens falsum. Et consimile est in collo columbæ, in caudâ pavonis & in iride. In Theologiâ etiam patet in Isaac, quod apparuit tactui suo, quod manus essent manus Esau, quando dixit: Vox quidem vox Jacob est, manus autem manus sunt Esau. Et consimile fuit de gustu Isaac & ejus olfactu. Unde in quatuor sensibus fuit deceptus, sed non in quinto, scilicet auditu, & hoc secundum antiquos Theologos fuit propriè figura hujus sacramenti, quia hic decipitur visus, gustus, odoratus & tactus humanus in suo judicio, sed non auditus, quia, quæ Ecclesia catholica docet de sacramento, & audiuntur à fidelibus, sunt vera. Hæc Wodfordus pro eâ scribendi & ratiocinandi barbarie, quæ isto obtinuit seculo. Alios diximus, sensuum testimonium saltem in rebus fidei dubium pronunciare. Ita Maldonatus q), ita Richelæus Cardinalis r), ita Nouetus s), ita ex recentioribus Tournely t). Alios, rejicere idem, si obstet revelatio. Ita Gregorius de Valentia u), cui Bellarminum x) & Becanum y) adjungimus. Alios, si assit operatio supernaturalis sive miraculum. Ita Arnaldus z). Addimus,

T. I. f. 196. editionis, quam Londini A. 1690. f. dedit Edwardus Brown.

q) ad Matth. XXVI. 26.

r) in libro, cui titulus: Traitté, qui contient la methode la plus facile & la plus assurée pour convertir ceux, qui se sont separés de l'Eglise L. IV. C. 1. f. 226.

s) in libro, cui titulus: la présence de J. C. dans le S. Sacrement. Verba refert la Placette l. c. p. 39. 40.

t) in prælect. Theolog. de sacramento Eucharistiæ qu. 2. art. 5.

u) in Comm. & disp. in summam Thomæ Aqu. T. IV. disp. 6. qu. 3. puncto 2. §. 8.

x) de sacramento Euch. L. III. C. 24.

y) de sacramentis in specie C. 18. qu. 2. n. 21.

z) Vide la perpetuité de la foy de l'Eglise Catholique touchant l'Eucharistie defendue T. 3. L. 7. Ch. 11. p. 391. sqq.

dimus, statuere alios, sensuum testimonium valere saltem quoad accidentia. Ita Thomas Aqu. Tapperus, Valquez, Estius, Nouetus, auctor artis cogitandi *aa*). Verba hujus *bb*) appingimus: *A considerer les choses exactement, jamais ce que nous voyons évidemment & par la raison ou par le fidèle rapport des sens, n'est opposé à ce que la foy divine nous enseigne. Mais ce qui fait, que nous le croyons, est, que nous ne prenons pas garde, à quoi se doit terminer l'évidence de notre raison & de nos sens. Par exemple, nos sens nous montrent clairement dans l'Eucharistie de la rondeur & de la blancheur, mais nos sens ne nous aprennent point, si c'est la substance du pain, qui fait, que nos yeux y aperçoivent de la rondeur & de la blancheur, & ainsi la foy n'est point contraire à l'évidence de nos sens, lorsqu'elle nous dit, que ce n'est point la substance du pain, qui n'y est plus, ayant été changée au Corps de J. C. par le mystère de la transsubstantiation, & que nous n'y voyons plus que les espèces & les apparences du pain, qui demeurent, quoique la substance n'y soit plus. Nec tamen & hi, qui existimant, accidentia esse saltem objectum sensuum, arbitrantur, ex eorum præsentia substantiam argui non posse indirectè, ut plurimum & cum certitudine, sed excipiunt maximè casum miraculi & operationis supernaturalis, uti jam diximus. Novissimè hanc sententiam propugnare Cardin. Gotti in Theologiâ scholastico-dogmaticâ juxta mentem Thomæ Aquin. T. 14. p. 89. & Cajetanus del Pezzo, Canonicus regularis Theatinus Neapolitanus, hic enim autor est *cc*) libelli infra nominandi *dd*). Sed & scripsimus, alios, Cartesianos scilicet, de modis id affirmare, quod alii de accidentibus, quæ absoluta nuncupant, affirmant *ee*). Alii ne modos quidem*

aa) Vide Placertam l. c. p. 88.

bb) P. 4. Ch. 12. p. 512.

cc) Vide Memoires de Trevoux 1735. May p. 941.

dd) Dissertatio physico-theologica de accidentibus eucharisticis, Neapoli 1735. 4.

ee) Cartesianorum de transsubstantiatione mira somnia recensuimus in diff. anti-

quidem, sed apparentias externas saltem heic sensibus patere affirmant, ex illis, qui Cartesii castra sequuntur ff). Hinc putant, panis & vini *species* dici, quæ sint nonnisi apparentiæ. Plaustra allegationum heic dare possemus, si tanti res esset. Ex nostris Gerhardus, B. Meisnerus, J. A. Osiander, alii eadem ferè tibias inflant, argumentum à sensibus contra præsentiam realem Corporis Christi in Eucharistiâ desumptum enervaturi. Primus ita: *Judicium sensuum & rationis in mysteriis fidei est caligatissima gg)*. Alibi: *Absit à nobis longissimè, ut nolimus plus credere, quam oculi nostri nobis renunciant. Job. XX. 29. 2. Cor. V. 7. Hebr. XI. 1. Sequantur, quicumque volent, judicium rationis & sensuum. Nos innitemur verbis Christi.*

Quod non capis, quod non vides,
Animosa firmat fides
Præter rerum ordinem.

Si tantum credis, quod vides, quid est tua fides? *Discerunt pii veteres hh)*. Secundus ita: *In fidei mysteriis non sequamur sensuum judicium, quandoquidem à visu ad fidem, ab oculo ad oraculum non valet consequentia ii)*. Tertius Turretinum refellit statuentem, sensus non esse audiendos in mysteriis, nisi saltem in objecto proprio & sensibili, vultque, ne in hoc audiendos quidem *kk)*, et si aliàs *ll)* veracitatem sensuum contra Cartesianos Theologos defendisset. Tacemus alios. Ast non ta-

B

cenda

anti-Rogerianâ p. 48. diss. anti-Bæl. II. p. 28. 29. diss. anti-Touttæanâ p. 22. sqq. Instit. Theol. p. 720. 721. & Introd. in hist. Theol. lit. T. 1. p. 370. Suppleri, quæ heic scripsimus, possunt ex Danjelis Voyage du monde de Descartes P. 2. Opp. Theol. T. 1. p. 95. sqq. & collectione Genevensi, quæ titulum fert: pièces fugitives sur l'Eucharistie 1730. 8.

ff) Vide dissertationes nostras citatas, & altes und neues aus dem Schatz Theol. Wissenschaften 1701. p. 470. sqq.

gg) in Harmoniâ Evangelicâ ad Joh. XX. 25. C. 213. f. 2188.

hh) de S. Cœnâ §. 115.

ii) in Philosophiâ sobriâ P. 1. p. 622.

kk) contra Turretinum p. 31. sqq. Adde Turretini instit. Theol. elend. P. 1. p. 39. sqq.

ll) in confid. in dogmata Theol. Cartes. p. 253. sqq.

cenda sunt argumenta, quæ contra testimonium sensuum pugnantur. Memorat Morhofius *mm*), de erroribus sensuum conscribi volumina posse, & conscripta esse. Sed tamen & alibi *nn*) monet idem, Marinum Mersennum in libro *de la verité des sciences* sensuum patrociniûm datâ & pulchrâ suscepisse operâ. Scilicet infinita sunt exempla, quæ allegantur, sensuum errantium in naturalibus, errantium in sacris. Non repetemus ea, quæ Petronius cecinit, quæ Cartesius, quæ Woodfordus dedere. Prolixus est loco citato Malebranchius in erroribus sensuum recensendis. Ita oculi armati plus vident quidem, quàm inermes, nec tamen minimas materiæ particulas assequuntur visu. Ita stellæ, quarum tamen magnitudo nobis perspecta est, adparent parvæ. Ita figuram solis, lunæ &c. ex visu judicare non licet. Ita, qui navigat, litora conspicit recedentia, navem putat quiescere. Ita domus videntur nutare, per fumum visæ. Oculis flavedine correptis flava videntur omnia. Aurichalcum auri, crystalli speciem glacies gerit. Lignum petrefactum à ligno non distinguit visus. Et quid dicemus, quæso, de repræsentationibus in laternâ magicâ vel camerâ obscurâ & catoptricâ, per specula varii generis, vitra colorata, prisma factis aliisque pro diversis radiorum coarctationibus, diffusionibus, reflexionibus, refractionibus diversis & ipsis, & objecta vel coarctantibus, vel diducentibus & ampliantibus, vel hoc & illo modo colorantibus, vel invertentibus, anamorphoticis illis? Sensibusne hîc haberi fides potest? Communis responsio est, sensus esse limitatos, suisque laborare imperfectionibus, nec pertingere ad omnia vel perfectè repræsentare illa, nec errare illos, vel, ut curatiùs loquamur, iudicium, quod ad sensationes fit, si objectum sit proportionatum sensibus & in rectâ situm distantia, si sani sint illi beneque constituti, si medium sit uniformè, nec impediât illos, nec, quod visum attinet, inflectat, refrin-

mm) in diff. de paradoxis sensuum sub initium.

nn) in Polyhistore philosophico L. II. P. 1, C. 9. sub finem.

refringat vel pingat radios, si quiescat oculus, si & reliqui sensus in subsidium advocentur & ratio ipsa, quæ utique dicitur, malè judicari, si, quæ sentimus, omnia in objectis quæramus, si denique debitam iis, quæ sentis, vel sentire videris, attentionem afferas, & si, quæ sentis, sentias vigilans. Somniat, qui ferio putat, somnum à vigiliâ evidenter & per reflexionem distingui non posse. Jam verò ista visus *Φαινόμενα* explicare videas, qui Opticam, Catoptricam, Dioptricam tradunt. Non peccat hîc vel fallit oculus, qui facit, quod suarum est partium viriumve, sed peccaret iudicium, quod ex repræsentationibus per artificium aut aliâs inflexis objectum argueret. Ita cæcus, quem successivo miraculo curabat Christus, quum homines primùm vidit ambulantes, tanquam videret arbores, videre aliter eos non poterat, organo visus nondum plenè restituto, atque ita restituto, ut radii ritè quirent illabi. Non peccabat itaque visus, sed organum. Marc. VIII. 24. Mirum, Croufazium in examine Pyrrhonismi Gallico, prolixo sanè illo, totum hoc negotium contra Sextum Empiricum, Bælium, Huetium, quos datâ aliâs operâ refellit heic, non excutere, sed ad Logicam saltem suam lectorem hîc ablegare. Ast urgentur & ex sacris sensuum errantium exempla. Ita Christus infirmi hominis, servi, peregrini, hortulani, assumpsit formam oo), qui non fuit talis. Forma illa nudum fuit accidens, nuda species & apparentia, qualis forma columbæ & flammularum ignearum, sub quâ apparuit Spiritus S. pp) Hæc accidentia, hæ species, hæ apparentiæ extra proprium suum subjectum positæ conspiciuntur, quemadmodum & in Angelis forma humana qq) & equorum & equitum & curruum rr) & forma serpentis in caco-damone ss). Ita & erravere oculi discipulorum Emaunticorum, Christum non agnoscentium tt): Nec, quod à Christo uu) dicitur: *videte & palpate, quia spiritus carnem & ossa*

B 2

non

oo) Luc. XXIV. 15. sqq. Joh. XX. 15. Phil. II. 7.

pp) Matth. III. 16. Act. II. 3. 4.

rr) 2. Reg. II. 11. 12. VI. 17.

tt) Luc. XXIV. 16.

qq) Gen. XVIII. 2.

ss) Gen. III. 1. sqq.

uu) Luc. XXIV. 39.

non habet, κατὰ πρῶγμα, sed κατ' ἀνθρώπων saltem dictum fuit, juxta Apostolorum, qui in multis tūm adhuc errabant, hypothefin, quā credidere, adesse corpus non posse, nisi quod videatur palpeturque, & spiritum esse, quod carnem & ossa non habeat, erroneam sanè, ita videri possit, & falsam, partim, quod Spiritus assumere utique ejusmodi crassum corpus ad tempus potest, partim, quod dantur utique corpora, quæ carnem & ossa non habent, partim, quod corpus glorificatum, quale Christi post resurrectionem fuit, sensibus, non glorificatis, patere, nisi per voluntariam œconomiam & dispensationem, non potuit, partim, quod & omnipræfens illud est, & sacramentaliter etiam in Eucharistiâ præfens, illocaliter sanè & invisibiliter, & impalpabiliter. Primum ex eo liquet, quod Angeli, quos convivio excepit Abrahamus, re verâ comederunt & pedes eorum fuere loti xx). Secundum ex eo patet, quoniam sequeretur aliàs, aërem, aquam, ignem &c. &c. &c. non esse corpōra. Tertium natura corporis glorificati postulat. Quartum oracula sacra adstruunt, ut alibi docetur. Scilicet aliàs prohibuit Christus, ne tangeretur yy). Ita Musæus zz), ita Fardella aaa), ita Vitus bbb). Digna sunt Musæi verba, quæ appingamus. Ita verò ille: *Si ponamus, verum esse, quod non absolutè necessarium sit principium, omne corpus humanum videri & palpari debet habetque carnem & ossa, licet eo usus fuerit Christus & scit etiam Thomas P. 3. qu. 55. art. 6. id non videtur pro absolutè necessario habere, ex eo tamen minime sequitur, Christum non benè vel non efficaciter argumentatum esse. Nam ille quoque benè & efficaciter argumentatur, qui κατ' ἀνθρώπων argumentatur & ex principio concessō conclusionem suam deducit. Quem modum argumentandi etiam Christus Luc. XXIV. adhibuit. Erat enim ipsi negotium cum simplicibus hominibus, apud quos, quantum ponderis*

xx) Gen. XVIII. 2. sqq.

yy) Joh. XX. 17.

zz) de usu principiorum rationis in controversiis theologis p. 494. sqq.

aaa) Vide nostram de Egoismo orationem p. 16.

bbb) contra Lærsium de corporibus Angelorum in Biblioth. Brem. Cl. 6. fasc. 1. p. 479.

devis sensuum testimonium habuerit, vel inde patet, quod Thomas Joh. XX. 25. non nisi sensibus convinci cupiebat, nisi, inquiens, videro in manibus ejus vestigium clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam. Atque ad hos convincendos sufficere poterat, talia adduxisse principia, quæ ab ipsis tanquàm simpliciter vera & absolutè necessaria admittebantur, LICET IN REI VERITATE TALIA NON ESSENT. Ex eo igitur, quod D. Hoë adductam propositionem, nempe quicquid videtur & palpatur, est naturale corpus, simpliciter necessariam esse inficiatur, nihil inferri potest, nisi hoc, Christi argumentum non κατὰ πρῶτον & absolutè concludere, quamvis κατ' ἀνθρώπον & ad hominem rectè concludat. Quid, quod Massonius, hic enim, sive Becmanus, Theologus Reformatus ille est, quem hîc datâ refellit operâ Musæus, tandem cum D. Hoë idem statuere cogitur, cum postea p. 85. scribit: Christus spricht: ein Geist hat nicht Fleisch und Bein, nemlich IN SEINER NATUR, ob gleich etwa ein Geist kan Fleisch und Bein an sich nehmen, und etwa bisweilen per dispensationem erscheinen. Ich hab Fleisch und Bein, spricht Christus, nemlich nach Eigenschafft meiner wahren Menschheit. Ein Geist, wenn er etwa in Fleisch und Bein auf eine Zeit erscheinet, so sagt man nicht, daß er darumb Fleisch und Bein in seiner Natur habe. Quibus verbis expressè asseritur, quod spiritus interdum (sc. per dispensationem) carnem & ossa habeat vel habere & sic ratione ossium & carnis assumptæ videri & palpari possit. Objicis: Massonius limitat majorem eamque à Christo etiam cum limitatione acceptam dicit, hoc sc. modo: Quicquid naturâ suâ habet carnem & ossa, illud non est spiritus, quomodo de spiritu, assumente carnem & ossa subsumi non potest. Resp. majore propositione sic limitatâ, minorem ex sensuum testimonio probari non posse. Sensus enim judicant de præsentia objecti v. g. de carne & ossibus interventu accidentium sensibilium. An autem v. g. caro illa & ossa per naturam supposito competant, nec ne, aliunde quàm ex sensuum testimonio cognosci oportet, quamvis juxta Dd. Scholasticos aliter sentiendum sit, quippe qui Angelos, cum in assumtis corporibus apparent, non carnem & ossa, uti Massonius putat, sed corpus aliquod

aliquod ex aëriâ materiâ formatum assumere docent. Quo stante non incommodè forsan dicetur, Angelorum assumpta corpora per tactum discerni posse à veris humanis corporibus, quæ carne & ossibus constant, si cum attentione quidem palpentur. Atque huc pertinet, quod Vasquez in I. Thomæ disp. 184. n. 12. hominem ait, si attentè consideret id, quod tangit in corporibus assumtis ab Angelis, facilè judicare posse, illam non esse veram duritiem, nec veram mollitiem, qualis in ossibus & carnibus reperitur, quia, si attenderet, facilè perciperet, non ita immutari tactum ab illis corporibus, sicut ab aliis, quæ vivunt & veras carnes & ossa habent. Contra verò, si homo sibi persuasum habeat, illum esse verum hominem, quem videt, quia oculus ita judicat, & simplici animo contrectet corpus illius, videbitur sibi carnes & ossa tangere, nec discernet, utrum sit verum Corpus, an apparens tantùm. Ita existimo, accidisse Abrahamo & Loth, dum Gen. XVIII. & XIX. laverunt pedes Angelorum, neque enim tunc cognoverunt, Angelos esse & in corporibus assumtis apparuisse &c.,. Haftenus Musæus, cujus plena verba dedimus, ut fidem allegationi faceremus. Stante verò Musæi sententiâ cadit utique argumentum nostrum supra ex Luc. XXIV. 39. pro testimonio sensuum in rebus fidei depromptum. Michaëlis Angeli Fardellæ, Philosophi Siculi adderemus verba, si Logica ipsius ad manum esset. Sufficiat, dare jam eorum compendium, quod Gallico idiomate dat Journal des savans, 1696. Juillet p. 551. 552. & ex hoc eruditorum diario Bælius in Zenone, notâ (H). *Il est tres clair, que l'Auteur de la nature peut tellement disposer nos sens, qu'ils nous representent comme existans des objets, qui n'existent point du tout. Quand on objecte, que, si l'évidence des sens n'est pas infallible, Jesus Christ s'est moqué des Apôtres, lorsque pour leur persuader, qu'il avoit un vray Corps, il leur a dit: palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, il répond, que les façons d'argumenter, dont l'Ecriture se sert pour l'ordinaire, sont plutôt tirées d'une Dialectique accommodée à la portée du vulgaire, que d'une vraye Logique, d'où il conclut, que Jesus Christ pour persuader aux Apôtres,*

Apôtres, qu'il n'étoit pas un phantôme, mais un vray homme, s'est servi de la Logique, qui a été la plus proportionnée au sens du vulgaire, par laquelle le peuple a coutume de se persuader, que les choses existent. Forsan profanitati, quam hæc Fardelliana sapiunt, tantoperè non succensuisset Rambachius in institutionibus Hermenevticæ sacrae L. 3. C. 4. §. 9. p. 488. si legisset Musæana. Viti verba nolumus addere, quemadmodum nec errores sensuum in Isaaco repetere. Jam verò in sene decrepito mirum non est, defecisse & visus & tactus aciem, succurrente tamen auditu. Ast nec tactus ipsum fefellit, nec gustus, nec olfactus, sed iudicium juxta hos sensus malè factum & attentionis debitæ defectus. Christus porrò veram servi & hominis infirmi formam assumpsit. Vestes, quas peregrinus, quas hortulanus assumpsit, symbola, sub quibus Spiritus S. assumpta corpora, in quibus Angeli apparuere, non fuisse mera accidentia, species vel apparentiæ, sed corpora aërea & subtilia, species istas & apparentias gerentia *ccc*). Id quod & de Cacodæmone dixerim, nisi malis, quòd naturalem serpentem obsederit ille. Succurrat hîc sensui, opus est, & ratio & revelatio. Dudùm demonstravere Philosophi, accidentia non posse esse extra subjectum suum proprium, cui inhærent *ddd*), non *aptitudinaliter*, sed *actualiter*. Communis hæc Scholasticorum Romanensium distinctio, sed valdè misera, pulverem saltem oculis injicit, quem abstersere nostri passim *eee*), & Placetta *fff*) quoque. Id quod ad sermones nostros academi-

ccc) Vide Gerhardum de S. Cœnâ §. 127.

ddd) Vide Albertinum de sacramento Eucharistiæ L. I. C. 20. L. II. C. 12. ubi & Patrum testimonia hanc in rem allegat, & Placettam l. c. p. 221. sqq. & Metaphysicos passim.

eee) Vide autores à Weiffio, illustri prioris ævi Metaphysico, Metaphysicæ etenim diversa systemata variantque valentque, ut nummi, ut una alterius absorbeat successione, citatos in compendio Metaphysicæ p. 291. 292. Est inter illos etiam ex Jctis Zieglerus ad Lancellottum p. 767. edit. Thomaf. Addo ex Theologis Calovium in Metaphyf. div. P. 2. p. 147. 148. qui tamen monet, esse & ex nostris, qui ajant, per absolutam Dei potentiam fieri posse utique, ut accidentia existant sine subjecto. Nolim hunc gladium tradere in adversarii manus. *fff*) l. c. p. 223. sqq.

demicos de jure ecclesiastico *ggg*) notaverimus. Idem de modis affirmaverimus, qui determinationes substantiarum sunt. Itane ergò inflexeris digitum, qui eodem cares? Nec dici quoque potest, Deum, exceptis tamen visionibus ecstatis prophetisq;ue, meras apparentias, substantiis vacuas, imprimere sensibus, -quod ipsum & sine miraculo fieri nescit, ut taceamus, dubia sic reddi miracula & religionem ipsam, quæ illis superstructa est. Alius est casus vel immissæ cæcitat, quod factum vel per corruptionem organi Act. IX. 8. 9. 18. XIII. 11. vel radiorum ab objectis his vel illis vel præsentibus omnibus resilientium miraculosa impeditio, ne illaberentur in oculos Gen. XIX. 11. 2. Reg. VI. 18. Luc. IV. 30. XXIV. 31. Joh. VIII. 59. alius porrò casus discipulorum Emaunticorum, qui, si attendissent curatius, agnoscant Christum utique, utpote quorum oculos non nisi falsum ligabat præjudicium Luc. XXIV. 16. Ast agnovere eum vel tandem, suadentibus & sensibus, errore contra illos agnito, licet disparuisset Christus Luc. XXIV. 31. id quod eo, quo diximus, factum modo. Neque enim in eâ, quæ tamen Balth. Meisneri *bbb*) aliorumque est, versamur opinione, corpora glorificata oculis minùs glorificatis haud visibilia esse Matth. XVII. 2. sqq. XXVII. 53. Act. I. 11. VII. 55. IX. 3. sqq. XVIII. 9. XXIII. 11. Apoc. I. 7. etsi tactui crassiori subjecta non sint, si plenè glorificata sint, quale non fuit Corpus Christi inter resurrectionis & ascensionis tempus, sed medii generis *iii*). Unde & objectionem contra Luc. XXIV. 39. factam facilè retundimus, si repetierimus, assumpta Spirituum corpora non nisi aërea vel subtilia atque organis destituta esse, quod & alibi *kkk*) adfirmavimus, si & dixerimus, à bonitate divinâ hoc proficisci non posse, ut corpus crassum aliud, quàm Christi, à spiritu mendace assumptum jubeat mentiri Crucifixi vulnera, nec falsâ hypothesi & erroneo medio termino uti qui-

ggg) p. 221.

bbb) in Philof. sobr. P. 1. p. 392. sqq.

iii) Ita jam scripsimus in diss. de sanctis tempore mortis Christi resuscitatis p. 11.
kkk) in diss. de operationibus diabolicis in hoc mundo p. 17. Nec tamen sic obsessiones diabolicas negamus, quæ ab assumptionibus corporum ad alia supposita haud spectantium differunt utique.

quivisse Salvatorem, ut resurrectionis demonstraret veritatem suæ III), nec ex mente Christi propositionem hanc: *Spiritus non est, quod carnem & ossa habet, æquipollere huic: quod carnem & ossa non habet, est spiritus*, quemadmodum nec ex oraculo hoc sequitur, spiritus in corporibus assumptis apparere non posse, uti Thomasius hariolatur *mm*) vel per naturam subtili corpore vestitos esse, uti contra Cudworthum judiciosè monuit Mosheimius *mm*). Quinimò contrarium potius hæc populari φράσει *ooo*) innuitur, carere illos corpore, maximè organico, sensibus, qui carnem & ossa postulant, instructo. Docet hoc Ignatii in epist. ad Smyrnæos C. 3. facta verborum Christi allegatio, ita habens: λαβετε, ψηλαφισατε με και ιδετε, οτι εκ εμου δαιμονιον ασωματον. Videri itaque possit Lucas verba Christi ex traditione aliàs nota παραφραζειν, quicquid videatur aliis, ad libros apocryphos hinc provocantibus. Velim, conferri hanc in rem Fabricium *ppp*). Ast nec probationem ex Luc. XXIV. 39. petitam dubiam fecerit relatio, quæ fert, *Johannem ex mandato Christi Corpus ipsius tangentem manum in profunda misisse & ei duritiem carnis nullo modo reluctatam esse, sed locum manui præbuisse discipuli*. Fuerit hæc traditio conficta à Docetâ quodam, adeòque sublestæ prorsus fidei, inveniatur licet in Clementis Alex. adumbrat. in 1. Joh. *qqq*) Ast & absurdum est κρησφύδατον Marcionis, qui caussatus fuit, particulam negativam *non ἀπο κοινῆ* repetendam esse sub finem versiculi, ita: *quoniam spiritus carnem & ossa non habet, quemadmodum me*

C vide-

III) Vide, aliàs quæ de argumentis ad hominem Biblicis diximus in diff. de rectâ Theol. typ. p. 11. & allegoricæ p. 28. 29. 47. conformatione, quæ & scripsit Sam. Chandler in the vindication of the Christian Religion P. 2. Ch. 2. of arguments ad hominem p. 364. 399.

mm) in dissert. de crimine magiæ th. 32.

mm) f. 1074.

ooo) Synecdochen involvit ista, quâ species pro genere ponitur, caro & ossa pro corpore. Eph. V. 30. Miror, Glassium, qui in exemplis sacris conglomerandis hinc multus est in Philol. sacrâ L. 5. tr. 1. C. 15. hoc non allegare. Jam & Spiritui vel animæ opponitur Corpus vel caro Eccles. XII. 7. Jes. XXXI. 3. Matth. X. 28. Jac. II. 26.

ppp) in Codice N. T. apocrypho T. 1. p. 359. 399.

qqq) f. 1009. editionis, quam Oxonii A. 1715, dedit Archiepiscopus hodiè Cantuariensis, JO. POTTERUS,

videtis non habentem. Refert hoc Tertullianus sub finem libri quarti contra Marcionem, & respondet quoque: *Quæ ratio tortuositatis istius, quàm simpliciter proninciare potuisset: quia spiritus ossa non habet, sicut me videtis non habentem. Cur autem inspectui eorum manus & pedes suos offert, quæ membra ex ossibus constant? Si ossa non habebat, cur adjicit: & scitote, quia ego sum, quem scilicet corporeum retrò noverant. Aut, si phantasma erat usquequaque, cur illos phantasma credentes increpabat? Atquin adhuc eis non credentibus propterea cibum desideravit, ut se ostenderet etiam dentes habere.* Mirum, Epiphanium, quàm hæresin Marcionitarum recenset, effugium hoc Marcionis tacere, atque oraculum hoc simpliciter Marcioni opponere *rrr)* utpote quod & hic agnovit genuinum, licet spurium & suppositivum censuerint Docetæ veteres, si conjecturæ Dodwelli *sss)* & Bellosobrii *ttt)*, habenda fides sit. Uterque huc trahunt locum Ignatii ad Philadelph. C. 8. ubi introducuntur hæretici, caussantes, se non credituros, nisi id, quod ex Evangelio citetur, ἐν τοῖς ἀρχαίοις in archivis Ecclesiarum vel ἀρχαίοις exemplaribus inveniatur, utpote quod de oraculo hoc negarint Docetæ, affirmarint Ignatius. Prolixè locum hunc Ignatianum jam olim excussimus nos *uuu)* & post nos explicavere Behemius *xxx)*, Frickius *yyy)*, idemque Bellosobrius *zzz)*. Sed mera ista conjectura est, cui eapropter insistere non possumus, quia Marcion aliàs antiquiores secutus Docetas locum *ισθίας* accusasset. Novum hoc specimen esto, ex quo patuerit, quæ curæ in N. T. Wolfianæ suppleri & queant & ament. Ast nec dici potest, corpora à spiritibus, ab Angelis assumpta non esse aëria, sed crassa, quia pedes Angelorum Gen. XVIII. fuerint loti, cum hoc ibi non dicatur, sed comedisse illos saltem, quod fieri utique à corpo-

rrr) in hæresi 42. quæ est Marcionistarum f. 317. 349. edit. Petav.

sss) in parænesi ad exteros de nupero schismate Anglicano §. 21. p. 98. sqq.

ttt) dans le discours sur les livres Apocryphes §. 9. p. 450. sqq. T. 1. de l'histoire critique de Manichée & du Manichéisme.

uuu) in diss. crit. de genuinis librorum N. T. lectionibus C. 2 sub initium.

xxx) in diss. de ἀρχαίοις sive tabulariis sacris veterum Christianorum p. 8. sqq.

yyy) in comment. de curâ vet. Ecel. circa canonem Scripturæ S. §. 16. p. 164.

sqq.

zzz) l. c.

corporibus aëreis potuit, cibos virtute altiore mox dissipantibus. Ita nec à tactu Christi absolutè prohibita fuit Maria, credens illa, non incredula Thomæ ad instar, cui denegabatur ille hæcenus, antiquam & familiarem conversationis rationem poscens, quòd reservatus illi esset plenior in cœlis, ubi Salvatore jungenda erat perpetim. Placet nobis hæc explicatio præ aliis, quas recensent Wolfius & Lampius. Jam verò, licet Musæus ita, ut vidimus, disputet, meliora tamen in antecedentibus dat *aaaa*), quàm ait, *Christum uti heic sensuum testimonio tanquàm medio affirmativo, & ex eo, quòd Corpus suum videtur & palpatur, concludere, id verum Corpus, non phantasma esse, Reformatos verò uti sensuum testimonio, tanquàm medio negativo, & ex hoc, quòd Corpus Christi in SS. Cænâ nec visu nec tactu percipitur, negare, id in SS. Cænâ præsens esse, atque sic mutare Christi propositionem finitam affirmantem in infinitam (infiniti subiecti) negantem, contra regulas logicas.* Genuina hæc responsio est, quam & supra jam dedimus, & contra Reformatos urget quoque Schræderus *bbbb*). Id, quod de dispensatione voluntariâ dicitur, juxta quam Christus se & visibilem & palpabilem præbuerit discipulis, aliàs invisibilis & impalpabilis ob rationem glorificati corporis, etsi nostratibus placeat communiter, nolim tamen urgere admodum, nec opponere Reformatis & Massonio in specie, qui in longum, latum & profundum hic, ut solet aliàs, exspatiatur *cccc*). Edisse Christum post resurrectionem ex œconomia voluntariâ, non est, quod negemus. Luc. XXIV. 30. 35. 42. 43. Joh. XXI. 5. sqq. Act. I. 3. X. 4. Sed Corpore nondum prorsus glorificato & visibiliter quoque in cœlum ascendente, visibilis utique fuit natura & palpabilis, per dispensationem verò invisibilis & impalpabilis. Quid enim, quæso, dispensatio illa aliud est, quàm miraculum, quo sensibus imprimitur perceptio, objecto haud concurrente, utpote ex natura suâ olim quidem illis, sed nunc non subiecto amplius, vel reassumptio itidem miraculosa crassæ carnis ejusque operationum sensibus ad tempus patentium. Prior explicatio enervat

C 2

vim

aaaa) l. c. p. 489, sqq.
XXIV. 39.

bbbb) in sceptro regali Christi p. 580. ad Luc.
cccc) l. c. P. 1, C. 12. alibique.

vim argumenti, quo Christus hinc usus est ad veritatem resurrectionis probandam suæ, licet id minus principale existiment Corn. à Lapide ad h. l. & ex nostris Gerhardus *dddd*). Posterior nimias Corporis mox glorificati, mox crassi successiones fingit. In parenthesi monemus, objici nobis haud posse, quòd & nos utamur voce *speciei*, quùm de Eucharistiâ agimus. Non enim per *species* intelligimus accidentia, uti Scholastici, non apparentias, uti Cartesiani, sensu vulgari, sed substantias, qui sensus est logicus & Patrum *eeee*) & Jctorum & Medicorum. Ita frumentum & vinum referuntur ad species annonarias. Hinc & publicæ species, & fiscales, & largitionales, quales aurum & gemmæ celebrantur in Jure. Hinc & aromata, herbæ &c. Medicis dicuntur species. Unde Italis *il Speciale* est Apothecarius sive Pharmacopola. Ita & charta & pisces & ferrum species veteribus fuere dicta & in specie numi, qui & Gallis hodie *espèces* audiunt. Plura dabunt Brissonius *ffff*), Salmasius *gggg*), du Fresne *bbbb*). Addo jam & hoc. Certum est, definitum hoc esse in Conciliis, accidentia posse subsistere sine subjecto, & in Eucharistiâ, quæ panis & vini sint, abolitis horum substantiis remanere *iiii*). Peccant igitur contra mentem Ecclesiæ Romanæ, qui meras statuunt apparentias residuas. Sed nec accidentia, nec modos, nec apparentias panis admittere videtur Canon *Ego Berengarius* in Concilio Romano A. 1059. Archidiacono huic Andegavensi obtrusus, ubi dicitur, *Corpus & sanguinem Domini in sacramento esse sensualiter, manibus Sacerdotum tractari & frangi, & fidelium dentibus atteri kkkk*). Nodum non solvit Bellarminus *llll*), adjiciendo per modum explanationis:

dddd) in disput. contra Pontificios, Calvinianos &c. p. 1437.

eeee) Vide *Simplicium Verinum* sive *Salmasium* de transsubstantiatione p. 113. ubi *Sirmondum* refellit, & p. 524.

ffff) de verborum, quæ ad Jus pertinent, significatione, hâc voce.

gggg) l. c. p. 228. sqq.

bbbb) in glossario mediæ & infimæ Latinitatis, hâc voce. Miror, cl. *Heineccium* ex his autoribus *Brissonium* in novissimâ *Halensi* editione non supplevisse.

iiii) Vide saltem *Card. Gotti* l. c. p. 100. sqq. ubi ad Concilia *Constantiense* & *Tridentinum* provocat.

llll) de sacramento Eucharistiæ L. 3. C. 24. col. 580. *kkkk*) c. 42. de consecr. dist. 2.

tionis : *mediantibus scilicet accidentibus mmmmm*). Hæc enim non sunt Corporis & Sanguinis Domini, sed panis & vini. Et quid dicemus, quæso, de systemate Card. Cienfuegos, peculiari dissertatione à nobis refutato, qui ait, Christum in Eucharistiâ omnes actiones vitales exerere, videre, audire &c. Faciliùs ex difficultatibus à testimonio sensuum petitis emergunt, qui præsentiam realem panis & vini cum præsentia reali corporis & sanguinis Christi jungunt. Errat Bellosobrius, quùm Docetismum nobis impingit *nnnn*). Docetæ nudas apparentias Corporis Christi statuerunt, quod planè ἀβίηρα φῶς est nec in locis Danj. VII. 13. Rom. VIII. 3. Phil. II. 7. 8. fundat. m. Nos è contrario, Corpus & Sanguinem Christi in Sacramento non apparere, sed invisibiliter & supernaturaliter præsentia esse, id quod & de omnipræsentia Carnis Christi dicimus, utrumque sacris jubentibus oraculis. Quid itaque vel tandem decidendum est in hoc frangenti? Valetne testimonium sensuum in divinis, vel militatne idem & contra præsentiam realem, quam & nos statuimus? Respondeo I. fateri omnes, & ea credenda esse, quæ sensibus non subjacent, vel saltem nunc non apparent, si jubeat ratio, si jubeat revelatio *oooo*), juxta quam, quod antiquus fert hymnus,

<p><i>etsi sensus deficit,</i> <i>ad firmandum cor sincerum</i> <i>sola fides sufficit,</i></p>	<p> præcipiturque, ut præstet fides supplementum sensuum defectui. <i>pppp</i>)</p>
---	--

II. Non tamen credi posse, quæ sensibus sint contraria, nisi
C 3 natura

mmmm) Vide ven. Collegæ nostri D. D. Weifmanni de formulâ Berengarianâ dissertationem.

nnnn) dans l'histoire critique de Manichée & du Manichéisme T. I. p. 382.

oooo) Joh. XX. 29. 1. Pet. I. 8. Hebr. XI. 1. 27. Adde 1. Cor. II. 9. 2. Cor. V. 7.

pppp) Hymnus hic, qui incipit: *Pange lingua gloriosi Thomæ dicitur esse Aquinatis, ita de Eucharistiâ canentis. Verba ita vertit Lutherus in Cantionali Wittebergæ A. 1525. edito, operâ Olearii & Schamelii recuso, cantico: Mein Zung erkling, quod verò repudiata deinceps transsubstantiatione abolitum fuit,*

Wiewol Vernunft das nit verstat,

Uns zu stercken,

Ist zu mercken

Allein EIN GUTER GLAUB ist not.

Et rursus:

Der Glaub leren,

Macht uns meren

Was unser Sinn nit hand erkent.

natura eos limitet, vel interveniat, quod eos in officio suo turbet & impediatur. III. Licet substantia sit ens merè imaginarium vel intelligibile, ex accidentium tamen perceptione sensuali rectè argui illam, & rectè specificari quoque sub regulis pro sensibus non errantibus supra laudatis. Valet itaque in sacris testimonium sensuum *positivum*, non *negativum* *qqqq*). Credi possunt & debent, quæ *supra* sensus sunt, aliunde patentia, sed non, quæ *contra* sensus, quod de ratione aliàs, quàm de ejus habitudine ad mysteria sermo est, pulchrè affirmatur. Sic dantur in naturalibus vehicula, involucra, receptacula visibilia rerum, quæ non apparent. Sic corpus humanum est receptaculum animæ invisibilis, sic in corporibus symbolicis apparere divinitas, & Angeli, invisibiles, sic sacramenta sunt signa visibilia gratiæ invisibilis, sic in Corpore Christi habitat omne Deitatis complementum Col. II. 9. Quis uno saltem apparente, negarit alterum? Non est, quod ajas, corpus omne, essentiâ suâ poscente, quantum esse, extensum esse, locatum esse, videri, tangi &c. &c. adeoque omnipræsens nullum esse posse, nec in pane posse delitescere. Rectè nostri, qui Corpori Christi glorificato visibilitatem & locabilitatem largiuntur quidem, sed actum ipsum ad essentiâ illius pertinere inficiantur *rrrr*), præsentiamque definitivam illi in cœlis adscribunt, ajuntque, Corpus Christi omnipræsens esse quidem, sed non extensive, localiter, physicè, sensibiliter, visibiliter, sed præsentiam divinâ, illocali, supernaturali, ex communicatione idiomatum resultante, in Eucharistiæ sacramento specificatâ & tùm sacramentali. Si hanc præsentiam doceat revelatio, consenserit ratio, quæ dicitur, veritates revelatas omnes esse admittendas *ssss*), nec involvere contradictionem, quæ heic nulla est. Id quod ex modo præsentiam liquet, alibi à nobis luculentius tradito *tttt*). Sed hæc quidem *ἰσακίῃ οἱ μνησθέντες*, non *ψυχικῶι* 1. Cor. II. 14. Et sic causa hæc nostra jam satis perorata esto.

qqqq) Ita Musæus l. c. p. 80. sqq. 484. sqq. Adde Altes und Neues aus dem Schatz Theologischer Wissenschaften 1701. p. 94.

rrrr) Vide saltem Gerhardum de S. Cœnâ §. 115. Exceptionem nescio num faciat Act. VII. 55. facit tamen Act. IX. 3. sqq.

ssss) Addi possunt, quæ ad Luc. XXIV. 39. scripsit Dorscheus in Comm. ad IV. Evangel. à Fechtio edito p. 950. *tttt*) in instit. Theol. P. II. C. 4. §. 4. Adde dissertationes nostras de influxu dogmatis Reformatorem de S. Cœnâ & communicatione idiomatum in praxin fidei quanto & quali. Ita sanè diluere oportet, quæ ex testimonio sensuum & Luc. XXIV. 39. contra præsentiam realem Eucharisticam urfit Calvinus in instit. rel. Christ. L. IV. C. 17. §. 29.

